



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

25 Bullas Papae supprimentes, & illas publicari prohibentes excommunicati sunt, & nisi resipiscant non sunt absoluendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

Ita quorundam tit. eod.

DECISIO XXII. *Dub. 19.*

Habens duo impedimenta essentialia, quorum vnū est publicum, & alterum secretum, vt si quis contraxerit cum consanguinea in quarto gradu, cuius sororem carnaliter prius cognouerit, si obtenta sit dispensatio super vno impedimento Matrimonij publico, non facta mentione de altero occulto, scilicet incestu, & postea impetretur gratia ab aliquo, qui eam concedere potest pro occulto, etiam non narrando publicum impedimentum, valida erit dispensatio, cum nullo iure cautum sit, quod in impetratione dispensationis super vno impedimento Matrimonij fieri debeat mentio de alijs, ad hoc, vt valeat dispensatio quoad impedimentum, ad quod illa impetratur; & obligatio non inducitur ipso iure, non est inducenda: Arg. c. consuluisti, 2. q. 4. & cap. 2. de translat. prelat. cum sola taciturnitas eius, quod iura exprimere iubent, gratiam vitiat. Rota de reser. 3. r. in nouis. Man. c. 22. num. 85. maxime cum incestus magna ex parte sint occulti, cognatio autem vt plurimum publica; & si in impetratione impedimenti publici consanguinitatis & cognationis exprimendus esset incestus, cogere tur impetrans seipsum in famam, & etiam alium frequenter proderet, contra ius naturale, quo vetamur nos, & alios infamare: cap. Quis aliquando, §. non tibi dico, de penit. dist. 1. vnde etiam & absolutio ab vna excommunicatione, alia tacita valet. Gloss. recep. in c. ex parte, de offic. ordin. Et collatio beneficii facta criminosis, criminis irregularitatem non inducente, aut inhabilitatem, non facta mentione de illo crimine, valida censetur.

DECISIO XLIV. *Dub. 20.*

Confessarius absolutionem ob peccata, quæ sibi non est confessus, penitentem negare non potest, sed neque interrogare penitentem tenetur, nisi quando probabiliter credit eum per obliuionem, verecundiam, vel aliam causam iniustam aliquid taciturnum, quod est de necessitate confitendum: vnde nec tenetur confessarius interrogare Episcopos, vel alios habentes dignitates, de beneficiorum pluralitate quia credunt se iusta dispensatione, vel ratione vel auctoritate probabiliter a peccato excusari; quandoquidem confessarius absolvere potest confessum nitentem, opinionem contrariam ei, quam ipse habet: Si autem se accusent de huiusmodi pluralitate, vel consilium ab eo petent, tenetur eis suam opinionem dicere, & si absque illa ratione, vel opinione contraria ei obedire renuant, absolutionem eis iuste denegare poterit, cum ad absolutionem conferendam necesse sit a statu peccati confessi discedere. Nau. in Man. c. 21. nu. 55.

DECISIO XXV. *Dub. 21.*

Villas & Diplomata Papæ suppressentes, & illa publicari prohibentes, nisi ex privilegio id faciant, excommunicationem incurrunt, a qua nisi respiciant, absolui non debent. Nau. in Man. cap. 27. nu. 55.

DECISIO XXVI. *Dub. 22.*

Exigentes gabellas, & pædagia indifferenter a clericis & religionis commissione suorum domoium, vel propria auctoritate, quocumque prætextu probabiliter, vel necessario, non habendo ad eam rem Privilegium a Sede Apostolica, vel proprio Principe sed solum id ex depravata consuetudine faciunt, excommunicationem incurrunt; Quamquam, de censib. in 6. & Cle. pen. tit. eo. nisi ignorantia probabilis talis excommunicationis eos excuset.

DECISIO XXVII. *Dub. 23.*

Hereticis & Gabellas Iudæis, & alijs infidelibus locare possunt, dum modo Rex, vel dominus terre Christianum aliquem ad illas exigendum deputet. & non permittat, vt ipse Iudæus per se, vel alium a se deputatum illas exigat, cap. ex speciali, de Iudæis. Nec cum Iudæis, paganis, aut Saracenis Christiani mercimoniam exercere vetantur, Argum. capitul. Cum sit nimis, de Iudæis, ex cap. armis, & alijs, quæ ad eos deferri prohibentur capit.

DECISIO XXVIII. *Dub. 24. 30. 31.*

Catholici cum hæreticis, & schismaticis, qui non sunt denunciati excommunicati, licet sint notorie hæretici, contrahere, & commercium habere sine peccato possunt: secus autem si sint excommunicati denunciati, ea cum excommunicato, 1. q. 3. & Extravag. Ad euitanda. Nauar. in Man. c. 22. nu. 35. cum sapte multitudine hæreticorum, & necessitas communicandi, & negotiandi facit licitum, quod alias non esset. Quod non est licitum de reg. iur. vitanda est tamen nimia familiaritas siue cum hæreticis, siue cum alijs infidelibus c. Nullus, c. omnes, 28. q. 1. & c. cum sit nimis, & c. fin. de Iudæis. & Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 57.

DECISIO XXIX. *Dub. 25.*

Schismatici, & hæretici, cum in Bulla cenzæ Domini excommunicati sint, ad ecclesiam redire volentes, reconciliari non possunt nisi per habentem auctoritatem absoluentis eos a censura, sed neque ab habente talem potestatem absoluenti sunt nisi suum schisma abiurent, si sit tale quod hæresim implicat.

DECISIO XXX. *Dub. 26.*

Matrimonium cum hæreticis contrahere Catholico non licet, cap. caue, 28. quest. 1. & Nau. in Manua. ca. 22. num. 48. contractum tamen tenet. Pacta vero quæ solent ab huiusmodi fieri, puta, si masculus nascatur, baptizetur in ea fide, cuius est pater; si femella, in matris fide, turpia sunt, & non valent, cap. fina. de condit. apposit.

DECISIO XXXI. *Dub. 27.*

Schismaticorum filij ad scholas Catholicorum venire permitti possunt, si hæc sit via, & gradus aptus ad eorum conuersionem: Argu. cap. cum in cunctis, de elect. E. contra vero Catholicis scholas hæreticorum adire non licet.

DECISIO XXXII. *Dub. 28.*

Schismaticorum, & hæreticorum non denunciatorum oblationes accipere, & offerentes, ad sacras conciones, & alia officia sacra, quibus interesse voluerint, admittere licet: eo quod hæc admissio ad sacra gradus quidam est & medium ad persuadendum eis conuersionem, & fidem Catholicam; & in his quæ pertinent ad salutem animæ, etiam cum excommunicatis denunciatis colloqui possumus, cap. cum voluntate, de sentent. excom.

DECISIO XXXIII. *Dub. 29.*

Quamuis Catholici cum hæreticis, & schismaticis notorijs communicare possunt, si non fuerint denunciati excommunicati, eos tamen in patrimonios admittere non licet: quia id esset eis cooperari ad peccatum: c. 1. de offic. deleg. si tamen admissi fuerint, cognationem spirituales contrahunt ex S. Tho. 4. d. 42. q. 1. art. 3. & Sylu. verb. Matrimonium. 8. q. 7.

DECISIO XXXIV. *Dub. 32.*

Absolui non possunt hæretici, & schismatici in articulo mortis, nec ad sepulturam sacram admitti, nec aliorum sacramentorum participes fieri, qui explicitè in specie, vel saltem implicite in genere non recedunt ab omnibus erroribus suis, licet recedant a bona parte eorum & sperare salutem, capit. Sint plures, de pen. dist. 3. Quamuis si morbus, vel periculum mortis adeo vrget, vt non possit omnes errores derelinqui, nec de veritate contraria speciatim instrui, sufficit derelictio generalis cum proposito speciatim derelinquendi postquam fuerit instructus; quia licet teneamur aliqua explicitè credere, non tamen omnia, ita S. Tho. 2. 2. quest. 2. ar. 8. & Nau. in Manua. prelat. d. 4. nu. 19. & c. 11. nu. 18.